



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**


Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Libri Primi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**



DE  
VITA ET REBUS GESTIS,  
**CAROLI CARD.**  
**S. PRAXEDIS,**  
**ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.**

*Liber Primus.*

**C**VM varia hominum genera, multiplicemque vitam conditionem intueor, per beatos equidem illos inter omnes existimo; qui cum vitam optimis institutis, ac virtutibus exultant, Deo iuvante agant; ceteros exemplo salutariter movent; & ad bene, beateque vivendum, pietatemque egregie colendam alliciunt. Atque utinam illud nobis quoque contigisset. sed quando ab eiusmodi felicitatis gradu longissime absumus; in eo saltem libenter nos laborare par est; ut aliorum laudes, sanctitatem, egregiamque, facta literis commendemus; quibus omnium, si fieri possit; animi excitentur ad imitationem. Quae igitur Carolus Cardin. S. Prax. Archiep. Med. gessit; quaeque nobis virtutis, & religionis exempla reliquit; ea quantum genus hoc operis postulat, egoque; diuina ope facere potero, memoriamque utilitatem constitui. nam nisi mihi oblata materia nimis placet; quam placere tamen existimo,

Pars I I I.

quantum veritas patitur; Caroli vitae abundat in omni virtutum genere documentis; quae Dei sacerdotibus in primis, tum pijs quoque omnibus proposita, magna pietatis, ac salutis adiumenta possunt afferre. Opus quidem est omnino difficultatis plenum, res eorum gestas, qui proximè vixerunt, mandare literis. cum enim multos ad huc esse superstites necesse sit; qui vel eas ad se res pertinere; vel easdem se quoque minime ignorare putet. multorum quoque sermones oportet, quae resque non paucas excitari, alij se notatos; praeteritos alij quaeruntur: hic aliquid dictum, aut minus verè dictum; ille omisum aliud expostulat. ita scriptoris labori; quem neque leuem, neque modici temporis esse intelligentes norunt; non parum additur offensionis, & incommodi. At illud suscipere negotium, in quo diuinæ gloriae quis, & salutis suae seruiat; tum pijs omnibus, qui nunc sunt, & futuris erunt temporibus gratificetur, ac prosit; tantum habere commodi par est ac iucunditatis; ut humanas omnes longe superet difficultates, ac molestias. Haec apud me ratio cum pluri-

Aa mum

mum ponderis habeat; accedit quam plurimorum rogatus, & cohortatio, tum nostrorum, tum etiam exterorum: immo Cardinalium, aliorumque amplissimorum virorum iussus, & auctoritas. Nam quod ad rei perficiendam facultatem attinet; dicam liberè, quod sentio: eloquentiam, historiamque scribendam artem concedens multis; rerum ipsarum notitiam, veritatemque iure mihi vendicare posse videor: immo eum quoque, in hac occupatione mea, laborem, ac diligentiam; quæ cum rebus ipsidem eruendis, ac explicandis necessaria sit; ut ab alio tamen adhiberetur, semper equidem sum veritus. posteaquam enim Carolo meo ut Patri optimo in disciplinam tradidi; animo quasi præfagiente; quid ille ageret in dies observans, seposui diligenter, quæ usus ad huiusmodi negotium quandoque posceret. deinde præter illa, quæ Caroli familiares, atque intimi diligenter à me interrogati contulerunt: & præter scripta quamplurima ex ecclesiæ Mediolanensis tabularijs deprompta epistolarum ipsius ad alios, aliorum ad ipsum amplius triginta millia, quas ille diligenter seruari iussit, peruolutaui: ut carpens vndique, ordineque componens plenum opus efficiam; & quod in primis querendum est, certissimis testimonijs in omnes partes confirmatum. quæ res faciet; ut si non optime, verè certè conscripti libri conscientia fruam. Ac si quemadmodum his adiuventis extrinsecus assumptis abundamus; ita potuissemus ad ea penetrare; quæ pro suo virtutis occultandæ studio, verisimile est, Carolum nota esse nemini voluisse: maior ad diuinæ benignitatis prædicationem sine dubio pijs animis per nos materies offerretur. Qui aliquid à nobis omissum obijcient, eos meminisse par est, non oia tamè ab vno dici posse. quos item monere minimè alienum fuerit, fortasse quæ ipsi desiderant; minuta

magis, aut remota videri, quàm ut scriptiois huiusmodi ratio ferat: multaque quotidiano conuenire sermoni, quæ non admittit historia. Quod si contra quis maiorem breuitatem forte desideret; meum esse consilium sciat; non præcipua solum breuiter decerpere; quod vitam alicuius conscribentes facere plerumque solent; sed paulo latius, tum ab eius ortu rerum gestarum historiam, vsque ad mortem complecti; tum mores etiã proprio loco describere. cuius rei scriptores clarissimos auctores habemus; tum viros etiã grauissimos, qui ad plurimorum documentum ita faciendum arbitrati, nobis id persuaserunt. De quibusdam cum honore, vel offensione nominandis: primò illud mihi pace omnium concedi peto: ut neque alicuius nomen, laudemve prætereã, si occurrat; quod sanè faciam libentissimè: neque affectem, si longius ab instituto cursu petenda sit. deinde cum à veritate, vel paululù discedere, nefas homini præfertim huius ordinis, existimari: quæ vera sunt, & sileri non debent, ita proferre constitui, ut nullius factum contumeliosè improbem; excusam verò etiam studiosè, si detur facultas. quin ut omnem offensionem vitare possim diligentius; illud mihi præscripsi; licet de publicis, manifestisque rebus nominatim narrare possim; eorum nomina tamen, silentio præterire, quorum posteris, familiaeue hoc fore gratius existimaui. Ita, quemadmodum spero, & satis veritati factum erit; neque vllius erit offensa mihi pertimescenda. Qui hac ratione scribat historiam, ei (ni fallor) ab ijs quoque, qui scribi nollent, de adhibita moderatone habenda gratia est: quam vtrum esset alius adhibiturus, incertum est: vtrum verò eadem alius scripturus, minimè dubium. Meam denique spem in Dei benignitate positam habeo; cuius beneficio confido fore; ut ad piorum animorum fructum salutarerem,

De Caroli  
parentibus,  
Caput 1.

& etiam sine iusta cuiusquam quere-  
la susceptum munus conficiam. <sup>videtur</sup>  
Borromeæ gentis antiquitatem,  
aut splendorem, non est, vt equidem  
existimo, cur hoc loco demonstrare  
coner: nã & satis per se nota res est;  
& ea curâ parum conuenire videtur  
de Borromeo illo scribenti, qui ad-  
mirabili quadam christiani animi cel-  
situdine, fluxa, & caduca omnia hu-  
ius vitæ ornamenta contempsit. De  
eius verò parentibus aliquid est attin-  
gendum; vt in ijs ignoscas, quod di-  
uinitus traditum est; parentes, qui iu-  
stam, simplicemque vitam agunt, bea-  
tos relinquere filios. Gibertus igitur  
Federici filius Borromeus, Me-  
diolanensis, vnâ cum tribus fratribus,  
Iulio Cæsare, Francisco, & Diony-  
sio Aronæ Comes; in ea parte ditio-  
nis Mediolanensis, quæ est circa Ver-  
banum lacum; præter Aronam ipsam;  
vicos, castellaque multa habuit in sua  
potestate. Is Carolum inter alios, de  
quo scribere instituimus, ex Margari-  
ta suscepit, sorore Pij Quarti Pont.  
Max. & Ioan. Iacobi Medicis, illius  
clarissimi bellatoris, cuius res gestæ  
magnam ferè apud omnes Europæ na-  
tiones habent admirationem. Magna  
Gibertus, pro eorum temporum con-  
ditione; innocentia fuit, ac pietate.  
omnes animæ labes, etiam eas, quæ vi-  
dentur exiguæ, valdè pertimescebat:  
idcirco saltè octauo quoque die sacer-  
doti peccata sua cõfiteri solitus fuit;  
& sanctissimū Eucharistiæ cibum su-  
mere. Præscripta sacris legibus ieiun-  
ia, quadragenarij præsertim tempo-  
ris, ipse piè coluit, & à suis insit ritè  
feruari. Horis canonicis eadem, qua  
sacerdotes præcatione utebatur; idque  
humi positis genibus: tum tanto stu-  
dio; vt nihil mane prius incipere, ne-  
que domo pedè efferre soleret, quàm  
quod eo tẽpore præcationis eiusmodi  
debeatur, & quod ipse item adde-  
re consueuerat, persoluisset. Diuina  
ope mirè in modū confidebat, vt sa-

pè alijs periculi alicuius timore per-  
territis, ipse præcipua quadã constan-  
tia Deo fretus nihil timere videretur.  
Fiducia fuit illa non mediocris, miri-  
fico diuinæ benignitatis officio remu-  
nerata; quæ magna vtens erga pauperes  
liberalitate, nõ valde pro dignitate  
sua tñ, humanis opibus instructus; cū  
moneretur à quibusdam, plures ei fi-  
lias, quas tñ ex Margarita, tñ ex alia  
vxore habebat, in matrimonium esse  
collocandas; piè respõdit, si curæ sibi  
Christi pauperes essent, Christo fi-  
lias suas fore. id quàm fèliciter eue-  
nerit, infra demonstrabitur. Illū in e-  
genis iuuandis præcipuè morè tene-  
bat; vt non ante vnquam accūberet,  
quàm eis elemosynã, neque eã par-  
uam misisset; quasi indignū se existi-  
maret, à quo Dei dona sumerentur,  
ni si prius ipse ex ijs elargitus esset; quod  
Dei benignitate possidebat. Quod  
plures vxores duxerit, non ideo tñ  
non castitatis fuit amatissimus: à qua  
violanda maximè semper abhorrere  
visus est. Cū malos in domo sua mo-  
res ferrè non poterat; tñ maledicta in  
Deū ita horrebat; vt familiares, si in  
ea inciderent, domo statim eijceret;  
nullãque prorsus accipere vellet excu-  
sationē. In reliqua domestica cura; in  
populis suis regendis; in priuatis pu-  
blicisque rebus agendis, cū pietatis pru-  
dentiaque laude versatus est. Viro  
minime fuit dissimilis vxor Margari-  
ta, lectissima foemina, & ab omni mu-  
liebri leuitate, siue vestimenta, siue  
aliud quiduis spectaretur, penitens alie-  
na. quæ domesticis rebus piè, frugali  
terque curandis intenta; cū ad proxi-  
miorē ecclesiã modestissimo cultu  
rei diuinæ causã quotidie accessisset;  
domo ferè non prodibat; nisi quan-  
doque ad virginum collegia, sacraue  
alia loca religionis ergò proficiscere-  
tur. Tales fuere Gibertus, & Margari-  
ta; vt dignū parētibus filiū agnoscas:  
parentes verò ita filio dignos; vt præ-  
cipuò tñ Dei munere, quemadmodū

christianæ reipublicæ utilitas postula-  
bat, lōge, multūq; sint ab eo superati.

Nascitur Ca-  
rolus fit Ab-  
bas, & iurif.  
consultus.  
CAP. II.

Natus est Carolus in arce Aronæ,  
postridiē Cal. Octobris anno salutis  
M. D. XXXVIII. quem adhuc pue-  
rum, clericali vestitu, ad eius mores  
valde accommodato, pater indui cu-  
rauit. A primo ætatis tēpore non ob-  
scura solidę pietatis signa dedit. cum  
enim tempus, quod dabatur literarijs  
exercitationibus vacuū, socij in pue-  
rilibus ludis ponerēt; ipse diuino cul-  
tui multò libentius, eo spatio operā  
dabat. vagabantur alij per urbem ani-  
mi gratia: ille verò, de eorū se socie-  
tate subducens, vel religiosiores ec-  
clesias adibat, vel domi pię præcabat,  
& diuini cultus imaginem quandam,  
paruis altaribus constituendis ornan-  
disque puerili quodā pietatis studio,  
& oblectatione referebat. Cum ætate  
paulò magis procisset; ecclesię san-  
ctorū Gratianiani, & Felini Aronēsis  
sacerdotium, Abbatia nomine, quod  
dudum in familia Borromeia perman-  
nebat, accepit. Atq; cum humaniori-  
bus literis satis operę dedisse videre-  
tur; Ticinum, vt ciuiliū legum, & sa-  
crorum canonum studia coleret, sese  
Patris iussu contulit. Tantula ætate  
cū esset sacerdotij sui fructus sacros  
esse reputans; quorū sibi, vtpote Ab-  
bati, Deo reddenda ratio esset; patrē,  
cuius alioqui voluntati obsequi dili-  
gēter studebat, modeste monuit, qui  
vnā cum ceteris facultatibus suis ad-  
huc Abbatie res dispensabat: minimē  
id sibi iustum, neutriusq; saluē cōsen-  
taneum videri; qui fructus sibi super-  
essent, eos in rem familiarem conuer-  
tij; ac non potius dari pauperibus: qd  
pius pater, tantum abest, vt molestē  
acceperit, vt filij religione, præclara-  
que indole lætus, ac præ gaudio la-  
chrymans; administrationem ei sine  
mora reliquerit. quod si patri aliquid  
ex ijs, necessarij sumptus causa, opus  
erat; mutuum dabat filius; quod ei po-  
stea, vel egenis restitueretur. Ticini

nec ab æqualium suorum vitæ cultu  
abhorruit; & pietatem, honestatemq;  
coluit diligenter. Ne insignes in lite-  
ris progressus habere videretur; inge-  
nij motus ad explicandum haud latis  
expediti faciebant. Nuper ex eius so-  
cij quidam narrabat: eo se tempore  
sēpius Caroli patientiam esse admira-  
tum; quod neque aduerso aliquo ludi  
euentu, neque famuli cuiusquā igna-  
uiā commot⁹, quidquam faceret, aut  
loqueretur vmq; quod contume-  
liam, aut liberiolem indignationem  
præ se ferret; eluxisse quoq; in eius  
moribus addebat animum excelsum,  
ac mētem ab humanis cupiditatibus,  
ambitioneque alienam. cum ei vlti-  
mo ferē iuris studiorum tēpore, Io.  
Angelus Cardinalis Medices auun-  
culus Abbatiam Romanianam contu-  
lisset, & præterea Caluentianum, vt  
appellant, Prioratum; de collegio ex  
ijs opibus Ticini constituendo iam  
tum cogitare, ac loqui cœpit: seque  
aiebat, modico sumptu, procul huma-  
no splendore, etiam turē vitam liben-  
ter acturum; modo talis collegij cō-  
modum, atque ornamentū familię, pa-  
trijq; afferret suę: quod alia ratione  
postea præclare factum vidimus. eam  
animi moderationem, atq; æquabili-  
tatem, haud maxima præsertim inge-  
nij celeritate coniūctam, quidā quasi  
tarditatem, abiectiōemque despice-  
re videbantur: cum tamen & ipsius  
adolescencię acta non obscure, &  
posterioris temporis res gestę multo  
illustrius, longe aliter se rem habuis-  
se demonstrarint; at enim moderari  
animo capi caducis rebus; & que ve-  
rē magna sunt, rei que publicę utilia  
amare, & querere; non tardi, vel abie-  
cti, sed præstantis ingenij est. Nō con-  
fecerat Abbas iuris disciplinæ cursū,  
cum eius pater ex hac vita migravit,  
annos natus quadraginta septem. qua  
de re, licet Federicus frater esset na-  
tu maior; rerum familiarium sum-  
ma, propter prudentiam, moruna-  
que

que gravitatem ad eius iudicium redijt: quam curam, ea cum laude gessit: cunctorum gubernatione coniunctam; ut si quemadmodum Apostolus monet; ab administratione domestica ducamus argumentū; ecclesiā quoque illi quandoque recte committi posse, iam tum liceret facile iudicare. Ad continuanda iuris scientiæ studia, impedimētū aliquid Abbati eiusmodi administratio sine dubio attulit: sed ob id quoque intermittendus fuit iuris discendi labor; quod studiorum suorum cursus cito conficiendi desiderio, quasi aestu quodam, ad vigilias, & nimias literarum occupationes delatus, in periculosam valetudinem, pituita ex capite distillante incidit; quæ curationem procul à libris omnino postulabat. ea pluribus mensibus temperantia fere, commodaque vitæ ratione Mediolani adhibita; quamquā grauius malum, fortasse etiam vitæ discrimen, auertere visa est; non effecit tamen, quin pituita itidem flueret usque ad postremos fere illius vitæ annos, quo tempore illa assiduo ieiunio valde imminuta, in proverbij fere consuetudinem Caroli remedium induxit. dū curaretur, à medicis præscripta musici cantus oblectatione, quæ naturam tamen erat ei valde iucunda, eo temporis spatio tantum utebatur, quod medicinæ causa ij necessariū iudicauerāt. ac ea tum verecundia fuit; ut si quid carminum canēdum esset, quod ad lasciviam pertineret; rei ieiendum ille quidem curaret prius, si animadvertisset; sin alitem, verba saltem ommitteret; vocumque modos tantum exprimeret. digna certe, clerico modestia; quemadmodum ea quoque quod rogatus, ut pilæ ludū in paternæ domus platea spectaret; ad ianuā fenestramve ita consistere recusabat, ut à cæteris spectatoribus videri posset. At disciplinæ sacræ studium non mediocriter ostēdit, in veteribus monachis quibusdā ecclesiæ suæ Aronensis

Pars III.

corrigen- dis. qui quidem à beati Benedicti instituto tam longè aberant; ut vix ipsius monastici vestitus vestigium retinerent. quorum licentiam, cum sibi minimè ferendam adolescēs Abbas iudicaret; alios victus asperitate, alios arcta custodia puniuit, & in officio continuit: quamquam nullo eius generis tūc proposito exemplo, quod sequeretur. Quinto, ex quo iuri studere cœperat, anno exacto, ut iuris utriusque peritus, doctoris insignia publicè Ticini suscepit; Francisco Alciato tradente, qui discipuli officio postea Cardinalis creatus est.

Obitu Pauli quarti, vacabat eodē tempore Pontifice Romana Sedes. tum Cardinalis Medices Margaritæ frater, electus est; & Pius eius nominis quartus appellatus; anno salutis M. D. LX. ineunte. Allato Mediolanum nuncio; ad duos Comites, ut Pontificis sororis filios, salutandos, domum conuenere statim Magistratus, ciuitatisq; principes; cognati, ut fit, noti que omnes. sed illos neq; spei magnitudo, nec elata cogitationes impediunt; quin sese pie colligentes, Deo gratias agerent; & peccata sua confessi, sanctissimāq; sumpta Eucharistia, christianum iacerent status eiusmodi fundamentum. Federicus sine mora Romam contendit. Carolus paucis interiectis diebus, Pontificio iussu accersitus, secutus est. Alterius sororis filios Pontifex habebat, Marcum postea Cardinalem, & Annibalē, Sitticos, Altaempsij Comites; Serbellonos item cōsobrinos; quos omnes dilexit, magnisq; honoribus, & amplitudinis Pontificiæ beneficijs auxit: sed hos tamen præcipuè sibi ornandos ille constituit. Federicum statim quibus potuit maximis, ditionis ecclesiasticæ titulis ornauit; qui Philippi quoque Hispaniarum Regis liberali voluntate, opibus, atque honoribus valde honestatus est. Carolum Prothonotarium

Fit Card-  
nalis, & Ar-  
chiepisco-  
pus Medio-  
lani.

CAP. III.

Aa 3 pri-

primo creauit; ac libellis referendis  
 præfecit. post mensem autem, & Car  
 dinalem fecit; &, quamuis annum a  
 geret tantummodo XXI. Medio  
 lanensem detulit Archiepiscopatum.  
 Præterea Romanæ ditionis admini  
 strationem illi mandauit; de qua, vi  
 ris grauib; in consilium adhibitis,  
 assiduè consultaret, supplices libel  
 los, ac mandata omnia, quæcumque  
 essent, pro se subnotare iussit. Aucto  
 ritatis pontificiæ munera grauissima,  
 negotiaq; quotidie detulit; & omniũ  
 curarum suarum, consiliorumque  
 participem fecit, ac administrum.  
 nam & ipse miram in publica nego  
 tia, grauissimasque res gerendas o  
 stendit ab initio propensionem. eò fa  
 ctum est, vt nullus ferè apud cognatum  
 Pontificem Cardinalis maiore  
 auctoritate, atque administratione  
 vquam fuisse videretur. Addidit  
 amplissimas facultates; quibus ille  
 splendore planè regio, contra quam  
 eius natura, consuetudoque ferret,  
 vitam instituit. maximus domesticorum  
 numerus; in his viri literis, nobilitate,  
 titulis ornatissimi. Præfules,  
 alijque nobilissimi viri quotidiani  
 conuiuæ. pretiosissima suppellex. quo  
 tidianas etiam oblectationes quasdam  
 sacræ disciplinæ non satis consentaneas  
 admittebat. Magna porro, re  
 pentinaque dignitatis amplificatio, si  
 præsertim exempla, & instigationes  
 accedant, sæpe mores, ac naturam ip  
 sam perturbat. At tantis copiarum  
 blandimentis delinitus, ad perfectio  
 rem tamen vitæ disciplinam oculos  
 retorquebat: & ad humana omnia  
 contemnenda se ipse frequenter ex  
 citabat. Cumq; multos post annos  
 Dei beneficia secum reputaret, com  
 memorare solitus fuit, inusitata se ra  
 tione ad sanctiora pietatis officia, re  
 ligiosoremque vitam fuisse perdu  
 ctum: neque enim angustas, asperas ve  
 res, vt plerumque fit, Deum adhibuif  
 se; sed prosperas, maximeque floren

tes: vt in ijs rerum humanarum leui  
 tatem, inanitatēque diuino lumine  
 perspicere, ad ea, quæ solida, grauia,  
 æternaque sunt, animam adijceret.  
 Interim non solum aliquid amplius,  
 vt humanum est, ex opibus Ecclesiæ  
 quotidie sibi addi non postulabat; sed  
 etiam vltro à Pontifice tradita, pro  
 pmodum accipiebat inuitus: quod  
 ex cognatis nonnulli, & alij, qui ex  
 eo pendebant, valde queiebantur: &  
 quod virtutis erat, vt humana peruer  
 sitas est, angusto, paruoque animo tri  
 buebant. Virginalē modestiam, que  
 semper in eius moribus eluxerat, ex  
 quisitè retinuit: & in eo genere non  
 modo quidquam malè appetere nun  
 quam vlli visus est; sed insidias quoque  
 non semel paratas sanctè admodum  
 vitauit. Præstitit in mandatis mune  
 ribus summam fidem, incredibilem  
 que diligentiam; tum mentem pro  
 fus incorruptam; quæ neque cupiditate,  
 neque vlius gratia vquam mo  
 ueretur; sed in omni re consultanda,  
 & diiudicanda, quod iustissimum es  
 set, id spectaret, & exequeretur sem  
 per pristinam item patientiam; vt nul  
 lus errato, vel molestia commotus,  
 quidquam faceret; aut diceret in que  
 quam contumeliosum. Cum autem  
 plerique amplitudinis, diuitiarum  
 que splendore, commodoque capti,  
 delicatiores fiant; laboresque dignita  
 ti coniunctos fugiant; contra hic ad  
 lescens sese patientissimum præsta  
 bat: multum scribendi, dictandi que  
 laborem suscipiebat: diuturnam ijs,  
 qui alloqui vellent, operam dabat. In  
 suos, pauperesque, si liberalissimus  
 initio non fuit; ita se tamen compa  
 rauit; vt in eius animo liberalitas in  
 dies, calore diuini spiritus augefcens  
 ad præclaram illam effusionis planè  
 christianæ maturitatem tandem per  
 ueniret. Pauperibus multa donauit,  
 tum Romæ; tum in ijs maxime locis,  
 vnde sacras pecunias accipiebat. Aro  
 næ præsertim multa distribuit, ac Me  
 dio

diolani: vbi si qua de causa in rebus ecclesiarum constituendis, gregeque ad rectam viam reducendo, sumptu opus esse viderat; de suo liberaliter iussit suppeditari: vt nihil penitus ex ipsius ecclesiarum fructibus ipse Romae tunc existimetur percepisse. Humaniora literarum studia coluit, cumque viros eruditissimos in eo genere plures apud se haberet; ex eis, aliisque nobilem instituit Academiam, cuius exercitationes noctes appellavit Vaticanas; quoniam publicis, plerumque negotijs interdum occupatus, certas eis dabat ipsius intempesta noctis horas. Valebant ea studia, ad doctrinam morum, facultatemque dicendi comparandam; tum memoriam quoque exercendam: dum posita quaestione, quae ad mores pertineret; in vtramque partem, quam poterant ornate, copiose, atque eleganter differebant. ad animorum vero relaxationem aliquid etiam admiscere liberalis ioci solebant, ac leporis. ex horum numero, & ex eis, quos in consultationibus adhibebat, viri fuerunt, tum literis, tum dignitate clarissimi; qui magno fuerunt, partimque adhuc sunt reipublicae christianae vsui, atque ornamento: ex quibus Episcopi, Cardinales; & ipse quoque Gregorius XIII. extiterunt. Curabat ille, per eas exercitationes, non solum eiusmodi doctrinae praecipua, dicendi quoque vsu assequi; sed etiam, quae in loquendo sentiebat, impedimenta naturae superare: concisas enim sententias, immo etiam verba ipsa immixta habita quodam nimiae celeritatis pronuntiare solebat. quibus in rebus, quantum profecerit; tum illius iudicium in scribendo, alienisque scriptis corrigendis postea indicauit; tum frequentissima conciones declararunt. Atque huiusmodi studia non parum ad eius quoque salutaria consilia valuisse postea fatebatur. cum enim illi Stoicorum sententia in Academia

impugnanda quandoque obuenisset; contra potius sese ad eos aliquo modo sequendos, hoc est ad perturbationes comprimendas, dum ei rei studeret, animique perfectam moderationem comparandam, sensit incitari; ex quo Epicteti philosophi libellum frequenter in manibus habere, eiusque praecipua valde obseruare, per ea tempora visus est.

Cum in Carolo rerum humanarum saepe despicientia sese ostenderet: non obscure tamen etiam studium apparebat sorores omnes recte collocandi. Id optime successit; Pontifice fauente; Deoque in primis cumulatissime praestante, quod bonus ille Gibertus eximia pietate sperauerat. Eas enim Principibus, ac diuitijs ditacioneque praestantibus viris in matrimonium dedit: Camillam quidem, quae prima fuit, Caesari Gonzagae, Melitiae Principi: Hieronymam Fabricio Gesualdo, Venusini Principis primo filio: Annam Fabricio Colungae, Marci Antonij Ducis Taliacotij itidem principi filio: Hortensiam Annibali Sittico, Altiphsij Comiti, & sororis Pontificis filio; non enim Hortensiam ex Margarita, sed ex alia vxore Giberti susceperat. Honestissimae fuerunt omnes: at Annae ijs moribus, eaque fuit sanctitate; vt in tanti fratris historia merito, de illa sit praecipue commemorandum. solidae pietati, rerumque diuinarum contemplationi maxime semper dedita fuit. vt non modicam noctis cuiusque partem, quae somno danda erat, in sacra supplicatione adhuc puella ponere soleret. At cum Fabricius adhuc adolescens diem suum obijisset; christianae disciplinae, piisque exercitationibus in dies magis intenta, tantum profecit; fratris exemplo, ac hortationibus in primis incitata; vt in eius precibus magnum domus suae praesidium Marcus Antonius vir prudentissimus collocaret. Vestitum mutare, seseque abdere in mo-

De Annae  
sanctitate,  
& ceterarum  
sororum ma-  
trimonijs.  
CAP. IIIA.



nasterium constituerat; nisi consiliū  
 dedisset Carolus, vt religiosam vitam  
 domi agens, filios, quos ex Fabritio  
 susceperat, non desereret; sed edu-  
 caret pie, ac diligenter. Egentium  
 iuuandorum studiosissima fuit. ex eo,  
 quod separatim ei dabatur, ad suos,  
 familiaeque sumptus, quantum pote-  
 rat, detrahebat; & in eleemosynas cō-  
 ferebat; vt ipsis etiam indumentis, ea  
 de causa tritis admōdum vteretur.  
 frequenter etiam, quod apponebatur  
 in mensa, mōdica sibi retenta portio-  
 ne, pauperibus dari iubebat. Ecclesia  
 erat in Panormi regia, vbi illa, cum  
 M. Antonio Siciliae prorege habita-  
 bat; & in eam ex Annae domicilio adi-  
 tus; vt commode posset in sacro loco  
 eximium explere, contiuandae sup-  
 plicationis desiderium. ibi quo arden-  
 tiore animo precaretur; sanctissimam  
 Eucharistiam haberi perpetuo cura-  
 uit: & sacram statarum horarum pu-  
 blicam praecationem, sacerdotis auctori-  
 tate restituit. Cum autem humida es-  
 set aetas, loco praesertim illo remo-  
 tiore, in quo Anna manebat; contra-  
 xisse videtur ex diuturna mora frigi-  
 dam, grauemque totius corporis, pre-  
 cipue capitis, affectionem; quam, vt  
 diuinæ benignitatis munus, libenter  
 vsque ad obitum tulit. Cum sanctissi-  
 mam Eucharistiam sumebat; tam ar-  
 denti, atque intimo sensu pietatis af-  
 ficiebatur; vt duarum circiter hora-  
 rum spatio, nullo fere motu, mente  
 penitus in diuinis mysterijs defixa,  
 permaneret. Sacerdotem cui confi-  
 rebatur, quisquis esset, tantopere ob-  
 seruabat; vt ne latum quidem, vt aiūt,  
 vnguem ab eius voluntate discedere  
 auderet; tantoque honore, ac reue-  
 rentia prosequeretur; vt diceret in-  
 terdum; pedum eius vestigia cupere  
 admodum se osculari. Tentari cum  
 ea febris coepisset, ex qua mortua  
 est; nihil patefecit: erant enim ex-  
 tremi quadagenarij ieiunij dies quo-  
 rum abinentiam nolebat interrumpere.

ad sacram Paschatis communi-  
 nem venit in ecclesiam. per eos dies,  
 qui pauci fuerunt ante mortem, solito  
 loco nonnunquam ad meridiem vs-  
 que; permansit orans. demum ingra-  
 uescente morbo iacere coacta, de  
 morte obeunda placidissime audiuit,  
 ac hilariter: creditoribus iussit in pre-  
 sentia satisfieri: & ex ea hora ro-  
 gavit, ne filij amplius ad se adduce-  
 rentur; quo magis ab humanis rebus  
 remota, quæ spiritalia, coelestiaque  
 sunt, quiete cogitaret. Humile funus  
 ducendum praescripsit; coelestiaque  
 amore vehementer accensa, diuinum  
 viaticum accepit; & sacram extremi  
 temporis vnctionem; cuius vnctionis  
 loca sibi ante diligenter ablui iussit.  
 cumque ad extremum vsque sensibus  
 vigiasset; sacerdoti etiam singillatim  
 coelites inuocanti respondisset; mor-  
 te obiit anno Domini M. D. XXC. II.  
 Luxere eam Panormitani propemo-  
 dum incredibiliter. tū verò eius cor-  
 pus ita fere habuerunt, quemadmo-  
 dum beatorum corpora solent haberi.  
 luxere autem in primis pauperes,  
 quorum se benignissimam parentem  
 semper ostenderat. De Anna, ceteris-  
 que sororibus satis.

Redeamus ad Carolum; cuius san-  
 ctioris vitae desiderium triennij fere  
 spatio; siue negotiorum, curarumque  
 magnitudine; siue humano, falsoque  
 pudore quodam retardatum; tum ar-  
 dentius excitatum est, clariusque mul-  
 to enituit; cum Federicus frater diē  
 suum obiit, mense Nouembri anni  
 M. D. LX. II. Florentissimi iuuenis in-  
 teritus, qui dum ad summos honoris,  
 atque amplitudinis gradus gloriose  
 ingrederetur, de medio praeter om-  
 nium opinionem sublatus est; ma-  
 gnopere valuit; vt Carolus tum ipse  
 vehementius commotus; tum alio-  
 rum animos factos ad humanarum  
 rerum imbecillitatem praesenti casu  
 attentiores; conspicatus; ad praela-  
 ram vitae hulus despicentiam; sacram  
 que

Ad meliorem  
 vitae studia  
 se refert.  
 CAP. V.

que illam optimæ vitæ disciplinam, quæ iam diu ei proposita erat, sese aperte, strenuèque conuerteret. Affuit assidue fratri laboranti; & quæ tali tempore homini christiano pia officia debentur, omnia, quantum potuit, cumulate præstitit vsque ad mortem. Dum autem alij, & ipse Pontifex in primis, afflicti; Federicum diutius lugerent; ipse accersito sacerdote, cui peccata sua solebat confiteri; de insigni morum mutatione cum eo egit, ac decreuit. Dictitabant eo tempore multi, Carolum nullo fratre, neque fratris filio, clericalem vitam relicturum; & vxore ducta, profanis honoribus, & negotijs implicandum. & vero etiam fuisse dicuntur; qui aperte significarent, ac incitarent; idque non sine eorum auctoritate, qui plurimum poterant, ille autem vt omni se interpellatione liberaret; non multis post mensibus ad sacrum presbyteratus gradum ascendit. Personam ex eo tempore visus est longe diuersam induere: eaque fuit in moribus, omni que vitæ consuetudine grauitas; vt ad austeritatem quoque perueniret; quemadmodum sæpe solet initio vitæ religiosioris euenire. Non cætera solum oblectamenta dimisit; sed cum exercitatione corporis ad id tempus valetudinis gratia magnopere delectatus esset; eam quoque respuit; quoniam Ægidius Fuscarianus religiosissimus Episcopus Mutinensis, quem plurimi faciebat, eam sibi consuetudinem in iuvene minime probari dixerat: augeri enim calorem nimis; qui suapte natura, tali ætate, maxime viget, inde cibus, potusque multus: ex quo multum somno, parum contemplationi, literarumque studio dari temporis, necesse est; præter alia, quæ animæ facile consequuntur incommoda. Ciuiles Accademiae exercitationes, studiaque dicendi, ad spiritualem traduxit rationem; iam tum, vt puto, cogitans

de grege suo coram custodiendo, concionibusque sacris pascendo. Alia studia literarum, egregia illa assiduitate, patientiaque sua coluit; doctorumque virorum quotidianas disputationes sua manu scribens, diu satis excepit: vt merito mireris, Carolum per eos annos, tantis occupationum pressum oneribus, logicæ, philosophiæ, Theologiæque, quamquam non ad perfectam scientiam, operam dare potuisse. sed multo magis mirum; varie illum, grauiusque oppugnatum, quorundam suasionibus insidijs, obrectationibus sollicitatum; stetit tamen; piaque sua consilia atque instituta constanter retinuisse. Mutatio eiusmodi plerisque non probabatur: eius causam; vt quisque sibi prudentissimus videbatur, ita in rebus humanis, vt fit, acutè inuestigabant. multi palam improbant; simulationemque dicebant. At multi etiam veritatis, diuini que spiritus vi permoti: tum sinceram eius animi sensum agnoscebant; dignumque imitatione iudicabant: tum eius exempla sequebantur. Plures ex literatis Academiae, domusque suæ viris, ad sacra studia, vitamque puriorem eius exemplo se retulerunt, omnino plurimi, eius imitatione, vitam, actionesque suas conformarunt. Tunc œcumenica synodus Pij Pontificis auctoritate, iussuque, Tridentini habebatur: cuius acta, progressionisque cum antea Carolus magno studio, ac pietate curasset: tum eo tempore studiosissime coepit tueri. atque cum de ea dissoluenda quodam tempore ageretur, pluresque ex principibus assentirentur, immo quidam vrgerent: ille Pontificis in eo voluntati consentiens, omni auctoritatis suæ conatu resistit, perficiendamque curauit. Ad eorum cogitationem, quæ synodi decretis operantur. Gulielmo Sirleto, plurimum usus est: cuius doctrina, cum anti-

quæ

1563.  
 quæ disciplinæ, græcæque linguæ cogitatione, tum vero eximia pietate coniuncta, adeo est delectatus; ut hominem semper plurimi fecerit; neque destiterit, donec eum postea perduceret ad Cardinalatus gradum. Ad sui ipsius, suorumque meliorem vitæ rationem, multa Carolus à morte fratris cum instituisset; sancitis demum anno M. D. LXIII. Tridentinæ synodi decretis; ea studiosius est executus; adiecitque; etiã sanctiora. Circiter octoginta de domo sua missos fecit vno tempore; eos ferè omnes qui clericali vitæ minus apti videbantur, quos benignè admodum, liberaliterque tractatos dimisit. serica indumenta non sibi solû, sed familiaribus omnibus interdixit; qui neminem ex eis antea sine sericis splendidisque vestimentis admittebat. De corpore suo nihil adhuc seuerius statuit, quàm ut vno die singulis hebdomadis pane, & aqua tantùm vesceretur. Molesta coepit esse grauissimarum occupationum assiduitas: quibus nê à diuinarum rerum contemplatione abstraheretur, in ædiculam quandam, quam sibi remoto loco ad id constituerat, sese abdere certis horis coepit. paulatimque; se prorsus à rebus agendis subtrahere velle videbatur; nisi quem vehementer obseruauit, Bartholomæus Archiepiscopus Bracharenfis ex ordine Dominicano magna sanctitate Præsul, admonuisset; Ecclesiæ, Carolique; ipsius conscientia periculosum sibi videri, defugere munera, occupationesque illas, quæ facillè in homines longè diuersæ sententiæ recidere possent. quæ res fecit, ut consuetos labores, atque onera pergeret sustinere. Virorum pietate, disciplina ecclesiastica, doctrinaque præstantium assidua consuetudine, consilioque utebatur: inter quos alij erant boni sacerdotes Hispani; qui nuper ex ciuitate Tridentina, Concilio absoluto venerant. ex eodem

numero Franciscus Forerius fuit egregius Theologus itidem Dominicani ordinis, quem Carolus apud se retinuit. & de rebus Theologicis quotidie differentem diu audiuit. Atque propius iam ad Episcopi munus accedens; quod se graue admodum sustinere sentiebat, & ad salutem sui gregis diligenter exequi cupiebat; in sacris concionibus publicè habendis, de quo grauissimè Concilium constituerat, se coepit exercere; remotioribus tamen locis, fereque ad virginum coenobia; quamquam & in suas breui prodijt tum Sactæ Mariæ, cuius erat Archipresbyter, tum S. Praxedis, cuius titulum habebat, ecclesias. Inusitata multis sæculis in tali persona muneris functio: cõcionator haud aptissimus; tali loco; quos in hominum sermones venerit, non est opus explicare. quibus rebus tamen, eius optimum studium superari, tardarive non potuit. At verò fecit ea totam morum conuersio, constansque; in eadem voluntas; ut illum tandem vereri quodammodo summiq; infimi inciperent; & ipse Pontifex eius causa quibusdam rebus vtiliter abstineret. solidæ virtutis vis hæc est admirabilis; quæ plurimos à vitijs deterret, & ad ea, quæ recta sunt impellit; quam ipsi quoque summo loco constituti non possunt non subire. Incidit per id tempus in morbum Carolus; qui diuino quodam munere, luminis ei plurimum, cœlestisque suauitatis attulit; atque ita mentem ad superiorum desiderium acuit; ut terrena omnia magis ac magis despiciens, mortem concupisceret; atque adeo culpam in eo suam timeret; quod ab humanarum rerum radio nimis refugere, & ita Deo se totum minimè permittere, sibi videretur.

Quod antea de sua diœcesi visenda, colendaque cogitauerat; id perficere quamprimum curabat. sed cum id molestè ferret Pontifex, senemque

Ecclesiæ  
 suæ absens  
 consulit.  
 CAP. VI

que

que se quereretur ab eo deserere, quem ut filium charissimum amabat; suum in Insubriam aduentum, non ille quidem dimisit, qui eum in animo defixum habebat; sed paulum distulit. Stavit verò interim ecclesie suae longè accuratius, quàm antea sine mora prospicere: ubi plurima corrigenda, restituenda, ordinanda esse, & probe sciebat, & quotidie audiebat. Ac superioribus quidem annis Vicarium ibi habuerat; immo Episcopalis quoque ordinis hominem, qui pontificalia munera obiret. non nihil item ad clericalis disciplinae conformationem pertinens cœperat. Verùm ad sanctiorem, illustrioremque tunc administrationem; quem Mediolanum cum potestate mitteret, præstantissimum sibi virum perquirendum statuit: de quo sollicitus cum inuestigaret; sapientissimo consilio fecit, ut Ioannis Matthæi Giberti olim Veronensis Episcopi alumnum deligeret. Cum enim, in ille, clericalis vitæ, ac administrationis episcopalis egregia laude non multis ante annis florisset; & ante Concilium Tridentinum fuisset ecclesiasticae disciplinae eo sæculo in Italia restituendæ facile princeps: nihil aptius, meliusve cogitare Carolus posse videbatur; quàm, ut virum tantæ Episcopi consiliorum participationem, actionum adiutorem, institutorum peritum sibi adscisceret; ut consilia sua, ex sacris Concilij præceptis & ex præcipuo illo animi sui lumine concepta, eum ijs consulens; præiungens; præstantissimam efficeret, Domino in primis iuuante; regendæ ecclesie rationem. Accersuit igitur, Cardinali Nauagerio Veronensi Episcopo concedente, Nicolaum Ormanetum præbyterum, & iurisconsultum Veronensem; qui non solum fuerat Ioannis Matthæi Vicarius; sed cum Reginaldo Polo Cardinali sedis Apostolicæ Legato, in Anglia, rebus illius ecclesie componendis operam

dederat; & Concilij Tridentini actionibus interfuerat: tunc autem ab humanis cupiditatibus alienus, populū quendam in diocesi Veronensi sacra regebat auctoritate; & paruum gregem bonus pastor, sanctè, quietèque pascebat. Sed eum Dominus nihil eiusmodi cogitatem euocari, eiusque virtutè ad Mediolanensium, atque adeo vniuersæ Ecclesie vtilitatem, in apertum proferri voluit. Romam cum venisset, Carolus amantissimè accepit; & pro sua ardenti gregis charitate, de ecclesia administranda, deq; omni sacra disciplina ex Tridentinis præcipuè decretis restituenda, cum illo plenè, assidueque communicauit: ut pleriq; ijs diebus mirarentur; id temporis cum eiusmodi homine consummere, qui orbis Christiani tot, tâtaq; negotia sustineret. Inde illum Mediolanum dimisit; quo iam anno ante clericos miserat ex societate I E S V, Benedictum Palmium in primis, magno ardore, atq; eloquentia concionatorem, qui omnes tanquam exercitati milites præcurrerent; in sua quisque muneri functione Duci viam pararent; belli que initia susciperent; quod grauissimum, & turbulentum cum deprauatis hominibus, demonibusq; futurum erat. plurimi enim ex omni genere vitijs erant contaminati: recumq; salutarium tota ratio in ciuitate, in agro, in omni denique provincia maximè perturbata: tum continuata, paucis annis exceptis, circiter octoginta annos Pastorum absentia; magnam ad diripiendum, dilaniandumq; gregem; aditum bestijs inimicibus reliquerat: obscuratis vbi que præsertim ex diuturna temporum calamitate, sacrae disciplinae custodiendæ, tuendæ que luminibus. Ecclesiastica administratio, animarum curatione ferè prætermissa; ad iuridicendi munus, litigioso sumque clericorum controuersias dirimendas, redacta erat. atque vni Vicario, tantum

tum otij scilicet à negotijs dabatur; vt etiam rebus ludicris frequenter posset operam dare: sed ipsa quoque iurisdictio, iudicium, siue incuria, siue ignauia, violata magna ex parte fuerat, ac imminuta. Cleri mores in vniuersum, siue domos spectares, siue ecclesias: misere corrupti: luxuries adeo libera, vt cautionem contemneret: sacerdotiorum multorum vectigalia vni assignata; eaq; ad profanum splendorem pro cuiusque gratia expetita: sacra munera ab ijs, quorum essent, neglecta; ab alijs ad egestatem sustentandam, non tam pro viribus, quàm pro inopia quæ sita. vtraque sæpe vitio, contraque sacrorum canonum præscriptiones impetrata. si quæ literæ; non ad salutem, diuinarumve rerum scientiam; sed ad lites, & iudicia comparatæ. sacrorum munerum functionibus, sacrificijsque ipsis obeundis, tamquam vulgariū clericorum officijs, nobiliores abstinere: profanis negotijs implicari: ædes sacræ ex parte maxima deformatæ; debitoque diuinorum officiorum cultu destitutæ: sordida suppellex, reliquæ aliæque sacræ res indignis modis habitæ. Concionatores ad eas res sepe intenti, quæ vt Apostolus monet, ad concertationes potius, quam ad rectam vitæ institutionem valent. Hæc omnia qualis populi vita consequatur, ignorat nemo. annuus tantummodo sacramentorum usus; ac in plurimis ne annuus quidem, sacra officia, immo ecclesiæ ipsæ parum à clericis, multo minus à laicis frequentatæ: criminum, quæ sacra potestate puniuntur magna licentia: adulteria multa, concubinatus, vsuræ. sed eius temporis miseriæ distinctius ex Caroli gestis apparebunt. Manebat certe Mediolanensium illa procliuis, ad virtutem natura: erant piorum hominum fodalitia, aliq; vetera instituta multa; quæ singularis cuiusdam bonitatis, ac pietatis significatione dabant;

exterisque hominibus à Carolo missis magnæ erant admirationi. Religiosorum hominum congregationes multa salutis habebant adiumenta. Clerici, qui Paulo Apostolo duce, ac patrono: coenobiticam vitam apud ecclesiam sancti Barnabæ iam instituerant, religiosæ, spiritualisque vitæ rationem præcipuo studio reuocare, atque inducere conabantur. rerum ducarum contemptum non solum verbis publicæ faciendis; sed etiam seuerâ admodum vitæ ratione docebant: & eorum, quæ Deus pro nobis pertulit imitatione, acriter sæpe numero inflammati, ea publicè faciebant, quæ ad homines præsentium honorum amantes acriter commouendos, vehementer valerent. Verum, vt hi magnū numerum ad optimas christianæ vitæ exercitationes adduxissent, nullo tamen publicæ potestatis subsidio; plerisque etiam repugnantibus; vix quidquam consequi poterant, quod vniuerse ciuitatis mores immutaret. nã & ipsi religiosi ordinis homines, eius modi vitæ spiritualis institutioni, nouitatis nomine sæpe sunt aduersati: tanta vis est prauæ, ac inueteratæ consuetudinis; quæ vetustissima quoque pietatis officia, vt res super inuentas, malæque respuit, ac aspernatur. ex ceteris quoque ciuitatis bonis, multum extabat fructus salutatis; at non is tamen, qui tam magnas tollere corruptelas posset. Commodissime autem videtur euenisse; priusquam ipse Carolus veniret. Ormanesum ad ecclesiã administrandam missi: vt cum multa ex ijs, quæ æquiora sine dubio essent, ille assequeretur; multa etiam dissimulare, multa tolerare; leniter omnino ad reliquam, perfectioremque conformationem animos preparare posset. nam plena, repentinaque correctio sine magna perturbatione, ac periculo induci posse vix videtur. Carolum autem ipsum præsentem in multis, gra-

uibusq; conuere; tum eius ampli-  
tudine, potestateque indignum erat;  
tum futurę etiam administrationi nõ  
mediocriter incommodum: quę ex se  
ueris, acribusq; inijtjs multo facilior  
ei futura erat; quemadmodum exitus  
comprobauit.

Quę Orma-  
netus egit in  
administra-  
tione eccle-  
się Med.  
CAP. VII.  
3564.

In suam igitur administrationem  
ingressus Ormanetus mense Iulio an-  
no à salute M. D. LXIII. quid egerit  
breuiter attingendum puto: vt cu-  
ius aedificij ratio latius hoc libro de-  
scribenda est; eius quo modo iacta sint  
fundamenta prius ostendam. Ac pri-  
mò quidẽ præcipua quędam capita  
tantummodo, ad vitia coercenda, ec-  
clesiasticamq; disciplinam restituend-  
am, prudenter aggressus est; eaq; se-  
re Cõcilij Tridentini auctoritate san-  
cita; quibus qui resisteret, non ita fa-  
cile, vel nullo modo potius posset ex-  
cusari. nam & Philippus Rex, ac Me-  
diolani Dux omnibus prouinciarum  
suarum Præfectis iusserat; vt quę Tri-  
denti constituta erant, omnino ser-  
uari pro eorum facultate curarent;  
ecclesiarum Antistites, quibuscum-  
que rebus possent, in ijsdem perficiẽ-  
dis iuuarent: & prouincia Gubernator  
Gabriel Comius; Dux Alburcher-  
chij, Senatusq; Mediolanensis, ad om-  
nia in eo genere peragenda pie se pa-  
ratos ostendebant. Primò igitur Or-  
manetus omnium Ambrosianę eccle-  
się clericorum synodum, paulo post  
aduentum suum conuocauit: vt Eccle-  
siarum ministros; eorum conditione,  
ac statum, tum ius habendi sacerdotij  
recognosceret: ijs presentibus, quę  
ad vsum pertineret, deliberaret: quę  
que seruanda essent, denũciaret: Ha-  
bet vrbs Mediolanensis ecclesias ani-  
marum curatione insignitas, seu pa-  
rochias ad septuaginta. alias octo,  
quę canonicorum collegijs coluntur.  
Extra urbem vero sunt parochiæ cir-  
citer septingentę; collegia multa.  
cumque à reliquis partibus haud ita  
late diocesis pateat; quę spectat ad

Aquilonem; quamuis Comensis eccle-  
się sinibus ad viginti millia, & am-  
plius partim teneatur; longe tamen  
etiam funditur ad regiones Verbani  
lacus: tum vero obliquo, longissimo-  
que tractu ad alpes pertinens, ad pas-  
sum circiter centum millia ab vrbe  
progreditur; multumque earum re-  
gionum capit, quę sub Heluetiorum  
imperio sunt: ac montibus, vallibus-  
que multis impedita, vias incommo-  
das, atque asperas habet. Urbis igitur,  
atque agri sacerdotibus conuo-  
catis, qui numero fuere circiter mil-  
le ducenti, synodum habuit Orma-  
netus. in eo sacri Tridentini Concilij  
decreta publice recipi, fidemque ca-  
tholicam singulos profiteri iussit: tũ  
denunciauit; vnã cuique presbyte-  
ro retinendam ecclesiam cum anima-  
rum cura; & in illa ei residendum: cę-  
teras vero quam primum dimittend-  
as. de seminario clericorum consti-  
tuendo egit; vnde ministri moribus,  
& doctrina idonei ecclesijs suppedi-  
tarentur. de honestate clericorum in  
vestitu, in habitatione, in consuetudi-  
ne quotidiana; in quibus varie, graui-  
terque peccabatur; nonnulla consti-  
tuit. quibus de rebus tum decreta re-  
citata sunt; tum Palmius grauissimas,  
liberalesque cõditiones habuit. Sacerdo-  
tes deinde, omnes qui passim antea,  
nullo scientię factio periculo, nulloq;  
testimonio confessiones audiebant,  
eo munere interdixit; nisi prius, ab  
ipso essent probati; quod tempore ce-  
dens, tunc quidem leniter fecit. Legi-  
timas inquisitiones, approbationes-  
que, de ijs qui sacris initiandi essent,  
restituere cœpit. Urbis partimque  
diocesis ecclesias visit, & recogno-  
uit. quarũ malis tamen plurimis, &  
grauissimis haud mederi plene pote-  
rat; tum ob idoneorũ presbyterorũ  
paucitatem; tum etiam ob sacrorum  
vectigaliũ tenuitatem; quę magnis pen-  
sionib; detractis, diminuta, atq; adeo,  
eximania erant. Hęc omnia licet tũ  
veterum,

veterum, tum Tridentini Concilij canonum sanctionibus constituta essent; nonnulli tamen, vt est eorum cœcitas, qui in prauitate sunt obfirmati, pertinaciter recusare; publicè reclamare; Vicarium, & concionatorem accusare, ad Senatum cofugere; de procuratore mittendo, nunc Romam ad Pontificem, nunc in Hispanias ad Regem, dictitare: secretò etiam per literas absque nomine scriptas Vicario minari; aliâq; tum absurdè, tum improbè tētare. Sed hæc licet magnam religioso Vicario molestiam exhiberent; illum tamen à partibus suis fortiter agēdis minimè detertere poterunt. Seminarij causa, quamquã Tridentino decreto sumptus ex sacris facultatibus suppeditandi erant; quia tamen clero vix quidquam adhuc extorqueri poterat; quin etiam multi actis cōueticulis, obstinatè optimo; & antiquo instituto repugnabāt; Carolus necessariam pecuniam dari iussit. Multa quoque fecit Ormanetus in disciplina virginum, quarum cœnobia in vrbe, ac diœcesi sex, & quadraginta Archiepiscopali auctoritate reguntur, restituenda. quæ quidem pluribus locis valde corrupta erāt; tum in vitæ cōmuniter, æquabiliterq; agēdæ ratione; tum in ædibus vndiq; clausis habendis, & in admittendis ad collocationem exteris. curauitque illas per probatos sacerdotes, qui à cōfessionibus essent, quæ ad eas concionarentur; tum etiam per alimentorū subsidia ex Caroli pecunia suppeditata, ad religiosos mores, & ad spiritalia studia reuocare. Quo in genere multa executus ipse; Caroli auctoritate alios etiam Veronensis ecclesię presbyteros, & Ioānis Matthei olim administratos accersuit; quorum consilio, atque opera, tum in alijs; tum in hoc præcipuè negotio vsus est: & per eos optima virginalis vitæ in cœnobijs agendæ iecit fundamenta: idque ex Tridentini Concilij constitu-

tionibus; ex Veronensis Ecclesię institutis; & ex ea, quæ iã in sancti Pauli cœnobio Mediolani ante vigeat, disciplina. Institutum illud fuit eodem tempore, quo Clericorum sancti Pauli Congregatio: eorumq; cōfilijs, atque opera gubernatum fuit: de quo cœnobio Veronenses illi, quem admodū nuper in eorū literis ad Carolum legimus, testabantur; nullum se ad id tempus aliud nosse, quod omni vitæ religiosæ disciplina, propius ad optimum, perfectumq; statum accederet. quare ex eo postea plures Carolus eduxit; & alijs monasterijs ad eorum mores corrigendos prefecit: ex quibus quædã adhuc in eo munere perseuerant. libenter autem hæc bonorum virorum testimonia eò commemorauit; vt perpetuus sit; quemadmodum quidem valde cupio, virginibus illis stimulus perfectæ disciplinæ conferuandæ. Hæc vt Ormanetus facilius consequeretur, prudenti consilio sacrorum hominum disciplinam primò correcturus; in populo, magistratibusq; multa pro tempore distimulabat; nè quid eius conatibus afferretur impedimenti. Ex ordine sacro qui videbantur religiosiores, eos vti fratres amantissimè complectebatur; eorum exemplo, studijs, atque opera multa perficiebat; in literis ad Carolum collaudabat; ijsdemque gratias agi curabat: quod ille statim faciebat, atque humanissimè. Sed Ducis quoque, prouinciæ Gubernatoris, & Senatus pietate non parum in multis adiutus est. ab eis si ecclesiastici homines præsidium peterent, nihil præter officiosas ad Vicarium preces impetrabant. Ducis autem in primis religiosum animū, in eiusmodi pijs negotijs, valde solebat Ormanetus collaudare. inter alia referebat ad Carolum scribens; fauisse illum statim instituto de testimonio habitæ confessionis, & sanctissimæ Eucharistię acceptæ, tempore Paschatis afferendo: fami-

familiarēq; suam id afferre iussisse. cū edicta quędam ad penuriam arcendā promulgaret; de eo, quod ad clerum pertineret, nihil attigisse; Vicario totum sine controuersia permisisse. Cōmemorabat item, Franciscum Ferdinandum Aualum Marchionem Piscarię, qui Mediolani tunc commorabatur, ita pijs eiusmodi institutis assensisse; vt si quis ex familiaribus peccata confiteri, atq; Eucharistiam sumere in ea Paschatis celebritate recusaret; eum ē domo, & ex numero suorum exturbaret. Tām multa cum prestatet Ormanetus, parum tamen proficere sibi videbatur: eximio enim erat ecclesię benē constituendę desiderio, angebatur animi, quod dum in mandato sibi negotio progrediebatur, nouas semper incurrebat difficultates; nouosq; sibi excitabat aduersarios: vt illud ex Apostolo saepe proferre soleret, Verē neminem posse placere Deo, & hominibus: & illud, Nullam humane, prudenterq; agendirationē ijs posse satisfacere, qui corrigi nolunt. quę res faciebat, vt de suo discessu sæpius Carolū rogaret; quamquam illud in primis in eo spectabat, vt ad parochiam suam Veronensem posset reuerti. dicebat verō, vt magis Carolum moueret; neminē tandem vllam ecclesiam regere, vt oportet, atque ordinare posse; præter eum, cuius est illud proprium, non autem mandatū munus; Atque cum in his omnibus Ormanetus, Plamij, sociorumq; tum Clericorum sancti Pauli consilio, atque opera plurimum vteretur; ex Caroli tamen in primis non auctoritate solū, quę Pontificis benignitate latissimē patebat; sed etiam sapientia, lumine, atque ardore animi valde iuuari se in omni administratione sua bonus senex prædicabat: mirabaturq; illum grauissimis occupationibus assidue distentum, longissimas tamen sua ma-

gnę de Mediolanensis ecclesię rebus

literas scribere. Is verō piorum, doctorumq; virorum cōsiliū quoddam Romę sibi constituerat; in quo singillatim de Mediolanensibus negotijs cōsultaret. Sed Gabrielem Paleotum in primis, tunc ex Senatoribus, quos Rotę dicunt Auditores, postea verō Cardinalē ab ipso Pio creatum, adhibebat; quem virum ob doctrinā, pietatem, & ecclesiasticę administrationis insignem vsum, plurimi semper facit.

Carolus autē suum vrgere discesum non desistebat, ac de Episcoporum prouincię Mediolanensis Concilio, per antiquiorem Episcopū saltem, si per se non posset, celebrando, omnino constitutum habebat; in quo sacris antiquis legibus nuper eo de genere Tridenti renouatis pareret; prouincię statum perfectius cognosceret: & de emendatione, constitutioneque rerum omnium; quę opus erant; quęque iam magnam partem in animo habebat, auctoritate concilij plenē decerneret. At post moras, impedimenta q; varia, obtinuit à Pōtifice tandem, quod diu cupiebat. Id vt honorificentius ei, atque facilius eueniret; non solū Pontifex Legati dignitatem in Bononiensi ditione, prouincia Romandiolę, ac Exarchatu Rauennę contulit; quā antea quoque tenuerat; sed in tota quoque Italia Legatum à latere suo dimisit. Hic minimē alienum existimo, reliquos item Caroli honores, munera, facultatesq; recensere; quibus, cum haberet, insignis fuit, & cum dimisisset, insignior. Cardinalis igitur, Legatus, idemq; Archiepiscopus noster; ecclesias non minus duodecim in varijs regionibus Abbatis, Cōmendatarijue nomine tenebat; & ecclesię S. Marię maioris Urbis erat Archipresbyter. Amplas pensiones varijs in prouincijs, aliasque sacras facultates obtinebat. Caluentianum sacerdotium addixerat iam fabricę collegij Tici-

Carolus Mediolanū venit, & concilium Episcoporum celebrat. Cap. VIII.

nensis,



nensis, quam ante annum opere mag-  
 nifico ceperat. Supremo paulo post  
 sacræ pœnitentiæ muneri à Pontifi-  
 ce præesse iussus est, summa omnium  
 approbatione: qui tali Præfecto, sa-  
 cro sancti Magistratus optimam ad-  
 ministracionem maximo per vniuer-  
 sam Ecclesiam pietatis fructu, resti-  
 tuendam, sperabant. neque eos fefel-  
 lit opinio; omnes enim eius partes,  
 multo tempore licet absens, opera-  
 eorum qui Romæ res eius gerebant,  
 & Pontificia in primis auctoritate,  
 religiose conformauit. Delatum est  
 etiam à Pontifice quandoq; Camera-  
 rij Apostolici munus: quod ille, ami-  
 cis nonnullis tacite indignatibus, pia  
 de causa recusauit. Aronæ Comes  
 cum esset, Vritanæ quoq; vrbis, ditio  
 nisq; à Philippo Rege, Princeps e-  
 rat, dum viueret, constitutus: vnde au-  
 reorum circiter decem millia annua  
 exigebat. Romaniani Marchionatum  
 Federico Ferrerio cognato ante do-  
 nauerat. Instructas triremes, quæ in  
 eum à Federici fratris morte peruene-  
 rant, quæq; stipendia in classe Phi-  
 lippi Regis, ad viginti millia aureo-  
 rum merebantur, tamquam a suis stu-  
 dijs valde alienas iam vendiderat. Lu-  
 sitaniæ Regnum, & Helueticæ gentis  
 septem pagi catholici in eius erant  
 clientela; quibus non multo post Ger-  
 mania inferior addita est. Vniuersus  
 ordo Franciscanorum, Carmelitarum,  
 Humiliatorum, & item canonicorum  
 regularium sanctæ Crucis Conym-  
 bricensis; præterea sacri milites, tum  
 Hierosolymitani, tum Iesu Christi Lu-  
 sitaniæ, eius tutelæ fuerunt commen-  
 dati. Annuorum reddituum summa,  
 quæ per id tempus fuerit, non satis  
 definite potest affirmari. & emolumen-  
 torum tamen omnium habita ratio-  
 ne, ad nonaginta millia aureorum num-  
 mum videtur quandoque peruenisse.  
 Et modestum animi sensum, eius lite-  
 rarum, tunc ad Ormanetum scriptæ ostē-  
 debant; quibus de vitæ suæ ratione in-  
 itinere, Mediolaniqu; tenenda singil-  
 latim monebat; & præscribebat. Cu-  
 pere se comitatu modico, cultuq; mo-  
 desto Mediolani esse; vbi, vt Episco-  
 pus, exemplo ceteris esse deberet, ad  
 inania humanæ vitæ studia fugienda.  
 Sibi daretur permanere, progressu-  
 rum se multo magis in vsitato vitæ  
 cultu extenuando: Sed Romæ redeun-  
 dum cum esset; mediã quandam viã  
 sibi tenendam: & eius tamen vitæ, ac  
 disciplinæ specimen esse dandũ, quã  
 sibi iam constanter proposuerat. non  
 posse familiares suos, tunc quidem,  
 cum minorem comitatum cuperet,  
 tamen non secum ducere varijs de-  
 causis amplius ceterum, velle, sibi duo  
 tantum, aut ad summum tria loca pã-  
 nis ornari minime pretiosis; non ar-  
 genteis vasis in mensa, sed fictilibus  
 vti: & ciborum rationem ad frugali-  
 tatis, temperantiæq; normam mode-  
 rari. Episcopos omnes sibi statuisse  
 hospitio suscipiendos; tum quia com-  
 modius id esset ad synodi negotia  
 tractanda; tum quia hospitalitatis of-  
 ficiũ sibi, vtpote Episcopo, maxime  
 conuenire intelligebat; præsertim er-  
 ga fratres suos: quos quemadmodum  
 nullo ambizioso apparatu excipere  
 volebat, ita cupiebat omnibus frater-  
 næ charitatis officijs amplecti. Ad om-  
 nia se admirabili diligentia parauit,  
 quæ opus erant; ad vrbis ingressum;  
 Episcoporum conuocationem; vitæ  
 rationem; hospitum commoditatem;  
 concilij actiones. Constitutionum sy-  
 nodalium materiam maxima ex par-  
 te, tum ipse Romæ iisdem cõsiliarijs  
 adiuuantibus parauerat; tum Medio-  
 lani per Ormanetum ex presenti rerũ  
 statu colligi iusserat. Plures Theo-  
 logos ex varijs religiosis ordinibus;  
 tum alios iuris pontificij peritissimos,  
 ad se accersuit; in ijs Scipionem Lan-  
 cilotum, nunc Cardinalem; Ioannem  
 Baptistam Castellium, Michaelē Tho-  
 masium, postea Episcopos; qui in Cõ-  
 cilij Tridentini actionibus cogniti;  
 probati

Cap. VII  
 de  
 Episcopis  
 de  
 Camera  
 de  
 Camera  
 de  
 Camera

probatī erant: quōrum omnium præstanti doctrina, quæ in Concilij decretis conficiendis oporteret, explanarentur. adduxit etiam familiares suos, viros eruditione, ac eloquentia præstantes; Siluiū Antonianum, valde sibi charum, cuius virtute, ac doctrina nunc vtitur in grauissimis rebus Apostolica Sedes: Ioannem Baptistā Amalthæum, Iulium Pogianum. Roma igitur profectus; Bononiæ multas de munitionibus, de finibus, de publicis iudicijs, ad eius vr̄bis, & ditionis vtilitatem auctoritate Legati triduo constituit: ad Nonantulanam ecclesiam venit; & quasi synodum clericorum habuit; vt si quid opus esset, pro suo Abbatis munere, constitueret, & corrigeretur. Toto itinere, summo licet honore Principum, & priuatorū officijs exceptus; Præfules, & ecclesias suo intentus muneri circumspiciens, quid absentia pastorum incommodi, quid præsentia fructus afferret, obseruabat: in quo & disceret ipse, & si quid ijs opus esset, Pontifici referret. Singulari demum, & pene incredibilem amoris, & obseruantia significatione, cuius, & Pastor exceptus est à Mediolanensibus suis, præcipua namq; læticia quædam, atq; hilaritas eius aduentus, ingressusq; tempore, in omnium vultu, atque ore versari videbatur. ac memini me tū adolescentulum audisse, qui eo ciuitatē ingrediente prædicarent, alterū Mediolanensibus Ambrosium aduenisse. Urbem ingressus est die dominico. 1 x. Cal. Octob. anni à sal. M. D. LXV. cum xxvi. ætatis annū ageret. Triumphales portas, symbola, elogiaz; honorificentissima; ac viarum ornatus, non est opus explicare: è Basilica Regum, quæ nunc Eustorgiana est, de more mitra, & ceteris Pontificalibus indumentis ornatus, p̄diit. albo equo, stragulis coloris eiusdem sericis adhibitis, infidebat. Cōfaloneriæ familiæ; cuius illud est ius, & institutum; nobi

Pars III.

les viri, rubeo, & splēdido vestitu pedites eum cingebāt: sericum vmbra-culum itidem album, sublime super eum ferebant. clericis, & monachis ordine præeuntibus, ad maiorem ecclesiam sacra solēni pompa processit. Dux, cum Senatu, & alijs Magistratibus, & omni fere nobilitate comitatus est: vniuersa ciuitas concurrat: reliqua acta, atq; adhibita pro ritu consueto. Proxima die dominica, celeberrima sacrosanctæ Missæ solemnia cū, vt par erat, maxima omnium ordinū frequentia, in maiori templo perageret; ad altare sedens concionem habuit, nouo plane eius temporis exemplo, de rebus salutaribus ad populū. Interim quæ synodi causa oportebat, inter assiduas ciuium salutaciones magno labore curauit. quarum rerum causa iam tum cœpit, neque somno, neque ceteris vitæ commoditatibus parcere. Varia munera tum Episcopis, tum alijs assignauit, ad ea quæ opus erant primo definienda, mox in synodo constituenda; quæ hoc loco enumeranda non videntur. Patuit multo latius olim ius Archiepiscopi Mediolanensis; eiusq; provincia multo fines habuit ampliores quidquid enim cisalpina Gallia, Liguriaque continebatur, ad Mediolanensem metropolim creditur fere pertinuisse; immo nonnullæ quoq; aliæ ciuitates. nam S. Barnabas, cum ad has partes diuini Euangelij præceptis ad salutem informandas venisset; vt multis argumentis, testimonijsque testatum est, quæ alias latius explicari poterunt; Mediolani vt in primaria totius regionis vr̄be præcipue cōfedit; & ex ea ceteras ecclesias, per se, perq; discipulos suos, vt mos fuit Apostolorum, instituit: quæ postea semper Mediolanensem, vt matrem agnouerunt; quamdiu, qui id poterant, aliud non decreuerunt. Ad synodum autem à Carolo celebratam venerunt hi Antistites, Bernardinus Scotus tituli S.

Bb Mat-

Matthæi presbyter Cardinalis Tranenſis, Episcopus Placentinus: Vido Ferrerius Cardinalis, & Episcopus Vercellenſis: Hieronymus Vida Albenſis: Mauricius Petra Viglebanenſis: Cæſar Gambarà Dertonenſis: Scipio Eſtenſis Catalenſis: Petrus Coltatianus Aquenſis: Dominicus Bolanus Brixienſis: Nicolaus Sfondratus Cremonenſis, ad Apoſtolicam ſedem poſtea ob eximiam pietatem elatus: Hieronymus Gallaratus Alexandrinus: Federicus Cornelius Bergomenſis. Excusatos vero ſe varijs de cauſis haberi petierunt, Ioannes Antoninus Capifuccus, tituli ſanctæ Crucis presbyter Cardinalis, Episcopus Laudenſis: Ioannes Antonius Serbellonius tituli ſancti Georgij presbyter Cardinalis, Episcopus Nouarienſis; Gaſpar Caprius Alenſis: Ioannes Ambroſius Fliscus Sauonenſis. Intimilienſis eccleſia tunc Episcopo vacabat. Placentinus Episcopus adhuc ſub Mediolanenſi Archiepiſcopo eſſe affirmabatur; ille autem negabat. ſalutis tandem vtriq; parti iuribus ſuis, Placentinus tantum ex Tridentino decreto, metropolim Mediolanenſem conſilij prouincialis cauſa ſibi elegit. In eadem cauſa eſſe dicebatur eccleſia Ticinenſis; ſed nihil eſt conſeſtum. Alij quidam longinquoſiores itidem ſunt vocati, de quibus nihil actû eſt. Prima ſeſſione conſilij Patres ab ædibus Archiepiſcopalibus, Senatus ad maiorem Baſilicam comitatus eſt: Miſſæ Gubernator interfuit. mox Palmius de eccleſia ordinanda grauiter concionatus eſt: Carolus latinam orationem habuit de conciliorum prouincialium inſtituto, & neceſſitate. alia ſunt acta, quibus alter quoque dies conſumptus eſt. inter ea fuit lectio omnium canonum, & decretorum Concilij Tridentini, publicaque eorum receptio; tum fidei profeſſio, quam vnusquisque obiit ſingil latim. alijs ſeſſionibus Ambroſiano ri

tu Miſſæ ab Episcopis celebratę ſunt & decreta ſynodi ſuo quęque loco promulgata. Poſtrema, vero Cardinales alij duo, Bobba; & Caſtillionęus honoris gratia aſſuerunt: & Carolus fratres Episcopos ad ea perficienda, quę conſtituta fuerant, & ad Episcopum munera ſanctę obeunda latina oratione cohortatus eſt. Habuit actio eiuſmodi fructum pietatis maximum. elucebat in ampliffima dignitate, Præſulum, & Caroli in primis pietas, modestia, vitæq; ſanctitas. ac non ſolum tantę hoſpitalitatis officio; ſed amplis eleemoſynis in clericos. alioſque egenos; in Eccleſias ſacraque collegia conferendis, præclara piæ liberalitatis edebat exempla. de rebus ad ſalutem pertinentibus ſacri oratores quotidianas ad populum conciones habebant: qui multitudine poſt hominum memoriam maxima conſuebat. proferebantur decreta ad clerici, populique mores componendos aptiſſima, atque illuſtria. reque ipſa à vitijs, & corruptelis, ſacri, profanique homines. alij exemplo, atque honeſtate commoti, pars metu poenę ſeſe abducere diligentius ſtudebant. obſeruabant pijs omnes, etiam ex longinquis prouincijs, ac mirabantur in Carolo, tamquam in omnium oculis collocato, animi religioſum ardorẽ; qui tali ætate, tali apud ſummum Pont. & ſanguinis, & amoris loco; nihil tamen videretur aliud, quam commiſſi gregis cuſtodiam, & perfectę vitæ ſacerdotalis officia curare. cum præfertim noua tunc ſatis eſſet ea diſciplinæ ratio, quam ſibi, ceteriſque Carolus decretis inſtituebat, ac exemplis. Sed tantarum quoque rerum reſtituendarum vt ſe darent initia, plurimi expectabant. amici Carolo multi etiam ex ijs, qui in ſummis gradibus ſedebant, ſolliciti erant vehementer; ne, quę tali tempore ſingularis eccleſiæ putabatur ordinatio, ac emendatio morum; vſu ipſo non ſine dede-

de decore careret: propterea quod corruptis consuetudine animis, plerisque difficilis admodum videbatur: & ex voluntate, virtuteque sua quisque, vel ipsam rerum naturam ferè solet meriti. Carolus vero diuino auxilio fretus, spe maxima erat; maximoque animo omnia aggrediebatur, obibat, exquebatur, neque spes eum fefellit: ea namque fuit, Deo ita providente, omnium ad quos pertinebat in ea actione voluntas, & consensus; ut omnia prorsus feliciter euenirent. Gubernatori vero ipsi Carolus in primis mirificum pietatis testimoniū tribuebat. qui licet religiosi animi laude, quem sua sponte rebus omnibus egregie præstabat, non sit fraudandus: plurimum tamen effecisse, dubium non est, Philippi Regis voluntatem; qui magnam voluptatem, fructumque; ex ijs Caroli consilijs, actionibusque se capere cum affirmaret; præfectis etiam sui iusserat, ut ei omni officio, studioque præsto essent. His igitur de causis, qui actionis illius initia primo verebantur, exitum postea videntes, incitabantur ad imitationem. Pontifex ipse singula, quæ agebantur audiens, maximè lætabatur; etenim videbatur eo tempore Caroli studijs eiusmodi magis, quam antea fauere: ac Sirleti Cardinalis consuetudine pene assidua delectabatur. Atque inter alia de concione intra Missam habita cum accepisset; palam dixit, sibi quoque, & Cardinalibus idem esse faciendum. cui quidem quam grata illa omnia fuerint, eius hæc literæ ad Carolum scriptæ testantur.

Pij Quarti  
litteræ ad  
Carolus.

*Iucundissima nobis fuerunt litteræ tuæ omnes; sed postremæ inter ceteras, quas ad nos xviii. huius mensis die dedisti, tum de omni synodi istius sælicæ progressu, tum præcipuè de Tridentini Concilij decretis publicè receptis; de isto-*

*rum populorum preparatione ad ea omnia accipienda, quæ in synodo constituentur: & de prompta item Gubernatoris, & aliorum Serenissimi Regis Catholici ministrorum voluntate; qui ad rerum decretarum usum, studium, atque operam suam omnem pollicentur. Quæ in re diuinum auxilium perspicuè agnoscens; quod ardenti, optimoque desiderio tuo, ad omnium rerum prosperitatem præsto est; te collaudamus; hortamurque, ut læto animo pergas optima constituere, & quæcunque possis laudabilia exempla edere. postea opportunè Tridentum versus honoris causa obuiam Principibus feminis procedas; aliisque præstes, quæ nos velle nosti. omnia autem te pro tua prudentia, & bonitate facturum non dubitamus. Dominus noster te seruet. Romæ v. i. Cal. Nouembris M. D. Lxv.*

His rebus celeriter gestis; Carolo quam primum Romam erat redeundum, ita iubente Pontifice in primis: sed postulantis etiam rebus ipsis, negotijsque ad vniuersam Ecclesiam pertinentibus: in quibus illud præcipuum erat, & grauissimum, ut in Tridentini concilij decreta conseruanda, contra frequentes, ardentisque multorum postulationes incumbere. Illud tamen est interpositum moræ; quod Cosmi Florentinæ, Senarumque Ducis, & gentilis sui rogatu, Pontifex, eum proficisci Tridentum iussit, ad Ioannam Maximiani Imperatoris sororem excipiendam, quæ Francisco Cosmi filio; & cum ea sororem Barbaram, quæ Alphonso Ferrariæ Duci, desponsa erat. Dum autem Italiæ Cæsaris sorores appropinquarent, paucos alios dies amplius nactus, nouos Carolus exceptit labo-

Romæ proficiscitur.  
Pontifex mortuo, creatur Pius Quintus.  
CAP. IX.

B b a res.

res. ecclesias, & sacra collegia multa canonicorum, ac virginum lustravit, ac recognouit: ijs quæ in synodo constituerat, efficiendis, operam dedit. cadauera, quæ alte in ecclesijs collocata erant, deponi iussit; & in primis, quæ Mediolanensium Principum fuerant: de legibus quibusdam publicæ utilitatis causa ferendis egit; de illa inter ceteras, quæ sumptibus moderaretur: de qua tamen nihil confectum est, ob iniecta quædam ex humanis rationibus impedimenta. Regijs demum fœminis obuiam profectus, ex itinere Episcopi Giberti ilius inductus memoria Veronam venit: cum ei præsertim ecclesiæ tunc Augustinus Valerius Episcopus, quæ diligebat valde, atque obseruabat, præflet. Ibi summo studio, parique animi submissione de Præfulis ipsius, ecclesiæque institutis; de multis administrationis ecclesiasticæ partibus, exquisiuit: Giberti olim familiares, & alumnos diligenter interrogauit: quibus enim se totum tradiderat, omnia curæ Pastoralis officia plene studebat condiscere. Dum autem Florentiam Ioannam deduceret; circiter Nonas Decembris accepit de graui admodum Pontificis morbo. tum relictis omnibus, cursu Romanam contendit: atque ita mature peruenit; ut auunculo adhuc uiuo, non modo extremum suæ præsentia solatium asserre, sed ipsa diuina salutis instrumenta necessario tempore potuerit adhibere. Ibi dicitur ante omnia statim medicos ad se vocasse, petijisseque, num spes vitæ reliqua esset: quibus negantibus; tum adisse Pontificem, dixisseque; nihil petijisse antea, ymquam, quod ab eius benignitate non accepisset: vnum adhuc petere, quod omnium minime sibi negari vellet. cum amuisset Pontifex; enixe petit, atque obsecrat; quando spes vitæ prorogandæ omnis erepta ef-

set, nihil aliud penitus eo tempore vellet, quam quæ ad animæ salutem pertinerent, cogitare. tum vero efficit, ne alius quisquam, vt sæpenumero fit, aliena ingereret, molestiam exhiberet. ac pijs sermonibus, mira animi fortitudine, eum consolatus; sacra diuini viatici, & extremæ vnctionis subsidiū præbuit: neque aliquo pietatis officio defuit, vsque ad extremum spiritum. In quo & accommodatam summo Pœnitentiarum muneris functionem; & egregiam in auunculum, patremque summum pietatem; tum vero præclaram iuuenis humana cuncta despicientis constantiam licuit agnoscere. Pontifice vero Id. mensis eiusdem mortuo; ad noui Pontificis creationem ita se conuertit; vt incommodorum suorum, quibus pro humana conditione vehementer angere debuerat, prorsus videretur oblitus. erat autem præcipua illius in eo negotio auctoritas; ob magnum in primis Cardinalium numerum, qui à Pio creati, eius ductum erant de more secuturi. Atque ita se ille comparauit; vt neque hominum voluntatis, quicumque illi essent, siue Principes, siue alij; neque utilitatis propriæ sibi rationem esse habendam statueret; quo diuinæ gloriæ, ac communibus Ecclesiæ commodis inseruiret; remque omniū grauissimā castissime administraret. itaque & in itinere, cum tentaretur à Principibus amicisque viris; quidquid agere penitus recusaunt; religione sacrarum legum impediri se affirmans, ne uiuo Pontifice de successore ageret: neque illo mortuo, eos audire voluit, qui rationes, utilitateque humanas sequi viderentur: quamuis homines vulgari prudentiæ, cupiditatibusque dediti, factum eius reprehenderent; pertinaciæque scilicet, ac immoderato religionis studio id tribuerent. Antequam sacrum ingrederetur Conclauem, plures ille, quidam n

animo sibi proposuit, qui viderentur Pontificatu digni; neque eum, qui postea electus est, vt eius intimi deinde cognouerunt, prætermisit. sed tamē mentem suam patefecit nemini: immo Francisco Crasso Cardinali, cum intraret, quærenti, quem crearent Pontificem; quem Deus elegerit, respondit; nihilque præterea aliud. Ingressus vero, quotidianis sacrificijs, assiduisque precibus, quantum poterat, opem à Deo in re tanta petebat. atque cum & proprio, & communi aliorum quorundam Cardinalium officio, quibusdam nominationibus satisfecisset; omne demum studium, curam, operamque in eo posuit, vt Pontifex Ecclesiæ daretur, qui pietate, vitæ sanctitate, doctrinaque plurimū prodesset: qualem inter alios Michaelem Ghislerium ordinis Dominiciani, Cardinalem Alexandrinū cognouerat. nam & eum amauit, & plurimi fecit semper: & de vitæ, atque ecclesiæ suæ rationibus sæpe consuluit. itaque nulla habita ratione, quid Carafarum ille causa facere fortasse posset, qui à Paulo quarto Cardinalis esset factus quodue Pio eius auunculo parum gratus fuisset; Marco Sittico Cardinali Altempio secum adnitente, in eius omni conatu creationem incubuit, collegis qui sese ad eū applicauerant idem persuasit; & eodem cum res prope perficeretur, se eum retinuit; ne sibi forte quis eriperetur. atque ita quod volebat, Deo in primis efficiente, celeriter, obtinuit. Creatus est VII. Id<sup>o</sup> Ianuarij anno M. D. LXVI. & Pius Quintus appellatus. Carolum in eo administrationis genere non satis peritum sese ostendisse; aut solertem, ideoque quod alij, non quod ipse mallet, euenisse, nonnulli iudicarunt. sed eorum qui diuersa sentiunt, spectatque, diuersum oportet esse iudicium. minus sagaciter, vel etiam prudenter eum curasse aliquid; & ideo non obtinuisse puta-

Pars I I I.

mus interdum; qui sibi æquo animo passus id fuerit eripi: contra, nec opinantem, & pene coactum admisisse; quod consulto sit secutus; ac non libenti solum, sed gaudenti etiam animo exceperit: id quod ijs sapissime euenit, qui perturbationibus liberi, diuina, non humana ratione ducuntur; plusque diuinæ prouidentiae tribuunt, quam humanis artibus. Illud certum est, Pontificem sanctissimum, vel cum rerum suarum iactura Carolum quæsiuisse: ac demum etiam Dei benignitate fuisse consecutum. Eius electionis causa magna fuit piorum omnium lætitia, magna Caroli probitatis commendatio: & ei Principes, Reges, priuati homines de re vndique sunt gratulati. Ipse vero tali electione lætus; nihil habuit tamē antiquius, quam vt ad ecclesiam suam quamprimum pro veteri suo desiderio, & ex Concilij Tridentini constitutione, posset reuerti: licet ei<sup>o</sup> animi paucos imitatores collegas haberet. A Pontifice maxime diligebatur. muneribus amplissimis in Vrbe præpositus erat. Principes eandem erga illū voluntatem conseruabant; neque enim potestatis amplitudine, sed virtute nitēbat: nam & Rex Catholicis Germaniæ inferioris clientelam ei tunc demum vltro detulit. Sed nihilominus secedere potius, & commissum sibi gregem custodire; simulque spiritali, ac episcopali disciplina sese vtilius exercere maluit. immo licet opportunum tempus Romæ, per singularem Pontificis pietatem offerretur, multa constituendi, quæ salutari essent toti Ecclesiæ documento, iamque nonnulla essent in manibus; immo Pontifex ipse manere propemodum iuberet: tamen reputans, quāti referret ad ceteros omnes in eo genere commouendos, primarios Ecclesiæ pastores apud greges suos, vti recenti etiam Tridentino decreto sancitū, erat, residere; debitumque illis officium coram præ-

B b 3 stare;

stare lectissimorum etiam virorum con-  
silio confirmatus; post habitis alijs om-  
nibus, constituit ad Mediolanensem  
gregem redire: concedente interim  
ea conditione Pontifice, vt proximo  
reuerteretur autumnus; qua se ille  
conditione, bona deinde Pontificis  
ipsius venia, rursus inuitat, exiit.  
Prius verò quam discederet; Cate-  
chismum, quem auunculi iam aucto-  
ritate iusserat inchoari, perficiendū;  
& Breuiarium item, Missalemque li-  
brum restituendum curauit. nonnul-  
la, quæ Mediolani statuerat, vt aucto-  
ritate pontificia confirmarentur esse-  
cit; de quibus ipsæ pontificiæ consti-  
tutiones extant. literas quoque Pon-  
tificis obtinuit ad Principes, in quorū  
ditione prouincia Mediolanen-  
sis ecclesiæ sunt; vt rerum decretarū  
vsum, & totum conformandæ eccle-  
siæ negotium iuuarent. Quæ quidem  
omnia, vt obtinerentur, parum habe-  
bant difficultatis; cū ipse per se Pon-  
tifex ad omnes rectæ disciplinæ par-  
tes restituendas animo valde paratus  
esset; & Carolum plurimi faceret. im-  
mò verò eorum occasione, quæ Me-  
diolani confirmanda erant, plura con-  
stituit Ecclesiæ Catholice maxime  
profutura. ea quoque Carolus Pon-  
tifici; memoriam eius potius, quam  
voluntatē iuuans, monita libere sup-  
peditauit; quæ vtilia in primis iudi-  
cabat Ecclesiæ Dei. Huiusmodi fue-  
runt, quæ ab amico Pontifice Cardi-  
nalis optimè de illo meritis recenti  
creatione sibi, suisque postulauit, at-  
que impetrauit. Illud etiam in disces-  
su fecit, iam disciplinæ omnis exequē-  
dæ, maiori quam antea desiderio ac-  
census; vt nouum familiæ delectum  
haberet, eamque ferè ad homines ei  
disciplinæ, quam sibi proposuerat,  
accommodatos redigeret: quorum  
mores, ex episcopali, domo, quasi ex  
edito quodam loco ceteris exemplo  
esse possent: quique non tam gratiam  
hominum, suasque utilitates; quam

res Deo gratas, sibi que; & alijs verè  
salutares sequerentur. quæ res fecit,  
vt magna veteris familiæ pars ab eo  
discederet: aliqui etiam Mediolanum  
profecti, postea Romam redirēt. sed  
ille sibi iam, id quod necesse est, hu-  
mana omnia posthabenda constitue-  
rat, vt perfectam sequeretur episco-  
pali vitæ degendæ rationem.

Mediolanum venit, Nonis Aprilis:  
ac ad ea perficienda, quæ in prouin-  
ciæ concilio anno superiore constitu-  
ta erant, & ad ecclesiā in omnes par-  
tes, ex Tridentinæ synodi decretis re-  
ctè componendam sese cepit exerce-  
re. Iucundissima Carolus erat ea cura;  
quo tamquam ex maximis fluctibus  
in portum confugerat; non otij qui-  
dem, sed eius tamen negotij; quo si-  
cuti numquā aliud magis operosum,  
assiduumque se habuisse; ita nullum  
quoque suauius se expertum comme-  
morabat. Mirum autem capiebat ex  
eo fructum; quod ad meliorem cleri,  
populi que disciplinam, ad diuini cul-  
tus incrementum, ad domus suæ piæ  
gubernationem, non mediocres fieri  
quotidie progressiones videbat. ideo  
que tum voce, tum literis quot antea  
semper affirmauerat, fructus vberri-  
mos, quos Episcopi in ecclesijs suis  
residentes ad crediti gregis salutem  
percipere possent, tunc maximè cepit  
prædicare. Diuinorum officiorū  
cultum, in Metropolitana præsertim  
ecclesia, mirum in modum diminutū,  
cepit restituere. sacrosanctæ com-  
munionis in primis frequentiam quæ  
tum per idoneos sacerdotes efficere  
poterat, inducere studuit. in eccle-  
sijs passim conciones sacras haberi  
constituit; tum in adium suarum sa-  
cello vesperi tractatus luculētos, sup-  
plicatione, musicaque suauitate con-  
ditos; quo magnum ex nobiliori iu-  
uentute numerum, vt piè commoue-  
retur, alliciebat. ex primarijs viris  
conflauit præclarum sodalitiū in ec-  
clesia sancti Ioannis, cuius institutū  
esset,

Mediolanū  
reuerfus e-  
x-quitur  
muna ra-  
sua.

CAP. X

offet, misericordiae nomine, reos condemnatos consolari, pieque dum ad mortem ducerentur, comitari. His rebus clerum ad officia sua reuocabat; com fidebatque fore, vt ad pietatem diligentius colenda ita populus incitare tur; paulatimque sese vitijs expediret. ac breui quidem frequentem ad res sacras, diuinasque, non multitudinis solum, sed optimatum quoque conuentum festis diebus effecit. nam & exemplo suo, rebusque ipsis inuitabat omnes: & principes viros, senatores, magistratus, qui tunc eius domum frequentabant; amiceque, ac pie sectabantur, cohortationibus excitabat. eodem tempore multa conabatur, quae ad vitia, corruptelasque publicas tollendas plurimum valerent. rursus de modo sumptibus adhibendo; de Academia, vel alia laudabili otiofa iuuentutis exercitatione instituenda; de ganeis quibusdam ex vrbe, & suburbijis tollendis, in quibus magnum erat vitiorum seminarium; alijsque eodem pertinentibus. Ecclesias, clerumque ciuitatis lustrauit: & clerum quidem improuissimum, atque ita celeriter; vt dispositis per vrbes regiones viris, omnia clericorum domicilia, quattuor horarum spatio diligenter inspicerentur. Deinde Septembri mense, post Virginis solemnia natalitia, exijt ad visendas agrum ecclesias; vbi plurimam passim inuenit, quae extremo egerent viderentur auxilio: vt tum dolore commotus interdum lachrymaret; tum letaretur etiam in dolore; datum sibi tandem, vt afflictis patriae rebus subuenire, rerumque sacrarum dignitatem,

quemadmodum conceperat, in antiquum statum restituere posset. quod efficere, cohortatione, iussis, animaduersionibus, sacris vinculis pro sua potestate soluendis; tum ea cura maxime, studebat, vt bonos sacerdotes sibi ascisceret, ac vndique accersiret: eisdemque, quantae fatis ad vitam, munusque essent, facultates attribueret: vt fructuose possent saluti populorum varijs muneribus inferuire. magnum enim uero, ac praecipuum rectae administrationis momentum; idoneos habere ministros; quos non gratia, vel aliena utilitas obtulerit; sed rectoris ipsius studium, & prudentia delegerit. In huiusmodi negotijs incommodus Carolo accidit Ormaneti discessus; qui tum Pontificis iussu Romam euocatus est. quamuis autem se tali adiutore priuatum doleret; gaudebat etiam, quod is vniuersae Ecclesiae operam daret apud eum Pontificem, qui ad omnia optima restituenda paratus, atque incitatus erat. Sperabat enim tanti Patris pietate; talibus consiliarijs, & ministris; Romam rem ita constituendam; vt magis, ac magis optimis exemplis abundaret; & in omnes partes lumen vniuerso praeferreret orbi. Ipse Romam eadem de causa non obscure inuitatus, gregis sui amore recusauit: quamquam rerum omnium participes, crebris consilijs, monitisque operi praeclearo absens inferuiuit.